N.° 15. 1777.

DEO OPTIMO MAXIMO,

VIRGINIQUE DEI-PARÆ,

ET S. LUCÆ MEDICORUM ORTHODOXORUM PATRONO.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS AGITANDA DISPUTATIONIBUS,

In Antonianis Medicorum Remensium Scholis, die Mercurii quintâ Februarii 1777, horâ post meridiem secundâ.

M. ROBERTO FILLION, Professore Mallio, Præside.

An Morbis chronicis Aquæ minerales Pruvinenses?

I.

AB ovo ad senium doloribus & morbis malè mulctatus homo indesinenter in perniciem ruit. Vix in lucem editus, luctuosam illius conditionem, & vitio parentum non rarò deturpatam, queruli arguunt vagitus. Quid mirum! Dùm natura ipsa, quasi operis immemor, fœtum, non in sinu benigniori reconditum, fovere minimè sollicita, sæpè mancum & languentem cudit. Neque ad meliora natus; si mater, quàm novercam meliùs dixero, formæ aut delicatiori temperamento non benè indulgens, infantem genuino ab ubere avulsum conductitiæ nutrici committere non dubitet. Quot enim exindè oriuntur mala! Horridus squalor, angusta fasciarum vincula, fames, aut alimentum fame ipsâ deterius; lac nempè alienum ac latenti veneno quandòque metuendum; vel crassæ pultes, quibus debilior recèns natorum

ventriculus ex more obruitur. Quid multis ? Jamdudùm humanæ mentis cæcitatem queruntur Medici ; ſed fruſtrà. Diem die trudente, atra cura, febres innumeræ, & formidoloſa malorum cohors miſeros mortales ad mortem uſquè inſequentur. Dura & fatalis quidèm neceſſitas! Ni ad manum haberemus remedia, quibus tot ſanitatis & ipſius vitæ infenſi hoſtes felicitèr profligari poſſent. Non malè igitur de civibus meruiſſe credam, ſi chronicos morbos brevitèr perſtringere, ſimùl & minerales Aquas Pruvinenſes, tanquàm dulce ſolamen & præſens auxilium contrà exitiale iſtud affectionum genus, ſuppeditare aggrediar.

I I.

INTEGRA ſanitas, punctum fugax, quo frui & gaudere rarò homini datur : adeò fragilibus nititur fundamentis corporis humani compages! Reverâ ſolidis ac fluidis totum conſtat partibus, quarum æquilibrium ſanitatem & vitam equidem conſtituit. Si autem, ab ordinationibus ſuis vel leviori momento declives, irregulari nimiove motu corpus exerceant ; tunc perturbantur œconomiæ animalis leges, omnia ſus dèque miſcentur, & brevì longa exſurgit ſymptomatum ſeries, quæ à diverſâ læſarum partium indole & naturâ originem ducunt. Ne autem in retegendis latentibus cauſis abſtruſiora tentare videamur, ad propoſitum redire properamus. Morbi igitur chronici illi dicuntur, quibus, non niſi longo tempore elapſo, è medio tollitur æger, vel ad priſtinam ſanitatem reſtituitur. Infenſiſſimi, contumaces, omnium locorum, temporum, ætatum, æquo pede pulſant pauperum tabernas, aureaque divitum atria. Incautum ſemper ludens, ſagacem Practici ſæpè fugit aciem occulta illorum ſedes ; quam evolvere & in apricum proferre abſtruſum, nec niſi verè Medico datur. Eò gravioribus graſſantur ſymptomatibus, quò magìs larvati, mentitâ benignitatis ſpecie ægrum ſecuroſque aſſidentes diutiùs fallunt. Modò, veluti ignis ſuppoſitus cineri doloſo, miti extùs calore benigni, cæco intùs æſtu flagrantes, tacitè ſerpunt, ſeſe perfidè diſſimulant, & triſtiſſima minantes inducias nectunt : modò debacchati crudelitèr ſæviunt, vices Protei gerentes, ac ſpecificorum ſolo alligandi vinculo : quin & vitam morte ipsâ acerbiorem aliquandò reddunt.

I I I.

FONS communis morborumque chronicorum parens, (teſte Sydenhamo (*a*) fideli naturæ interprete) humorum indigeſtio ; quæ quidem innumeras ſtagnationes diverſi generis procreare valet : undè gaſtricarum functionum damnoſa læſio ; hepatis, meſenterii, cæterorumque viſcerum infarctus, obſtructio & miſeranda debilitas. Tot & tanta mala à primis viis natales ducere miraris ? aſpice miſeros, qui tali labe afficiuntur : appetitu carent ; difficultèr ac ne vix quidem concoquunt ; eructationibus nidoroſis, acoribus, borborygmis, vomitibus obnoxii patent ; alvo plùs æquo ſolutâ aut aſtrictâ laborant ; ſingultus, ſyncopes patiuntur ; ſpontaneis defatigationibus torpent ; ſæpè toto corpore rigeſcunt, vel edaci uruntur igne ; qui depauperando humores, colliquativos ſudores ciet, & brevì flebilem proſtrabit ægrum. Sæpè ſæpiùs hæc ſymptomata vires acquirunt eundo, exaſperantur & ad mortem uſquè ingraveſcunt. Imperfecta retentorum excernendorumque elaboratio, & ſegnis eorum ſecretio inordinatos motus concitant, ac perplures tragædias agunt : languet nempè nutritio, & corpus ſuâ defraudatum alimoniâ miſerè tabeſcit. Tunc

(*a*) Tract. de Podag. pag. 432.

pallent ora, cavi dedecorantur oculi, exacuantur nares, ſubſidunt genæ; perpetuis vigiliis quatitur irrequieta mens; nulla functio manet inconcuſſa. Depravata bilis, quà data porta ruit, & mox errore viarum, ingratus hoſpes aut transfuga infenſiſſimus, ſanguinis alveo miſcetur, & omnem corporis peripheriam atrâ flavedine inficit. Hinc deformis icterus, ſitiens hydrops, languida chloroſis, cacochymiæ & cachexiæ pediſſequi, ſuum etiam conferent ſymbolum ad victimam morti neſciæ flecti litandam.

I V.

HASCE calamitates à miſeris mortalibus avertere cupis? Principiis obſta, &, naturâ duce, morbum in intimis receſſibus plerùmque latentem curioſiùs inſequere. Nec tibi deſunt auxilia, quibus hoſtis debellari poteſt: Si verò ſapias, immensâ medicamentorum farragine omninò ferè omiſſâ, ad minerales Aquas Pruvinenſes, tanquàm ad tutiſſimam ſalutis anchoram, haud morâ confugies. Reverâ ſi analyſim conſulamus, noſtras minerales Aquas in morbis chronicis non dubiâ vi pollere, jam luce clariùs patebit. È puteo recentèr (a) hauſtæ, intuitu ſubpætulæ, aquâ ſtillatitiâ tantillùm graviores, ſaporem ſubdulcem, adſtringentem & ſtypticam linguæ imprimunt: in lagenâ ſuccuſſæ, aut aëri libero expoſitæ, particulas ferreas ſub ocræ formâ dimittunt: undè acido vitriolico & magnâ mobiliſſimi aëris quantitate illas imprægnari conſtat. In duabus harumce libris vitrioli martialis quinque, ſalis vitrioli ciſelenitoſi quinque vel ſex, aluminis ſaliſque glauberiani duo aut ad ſummum tria plerùmque hoſpitantur grana. Talibus autem ex principiis in infinitum penè diviſis exſurgit tota frigidarum aquarum chalybeata virtus; quæ quidèm aliundè partibus ſalinis, quibus ſcatent, ventriculi tonum lenitèr exſuſcitare, viſcera intimiùs ſubire, minutiſſimos univerſi corporis canales celeriùs permeare, neceſſariò valent. Hinc expedita & vegetior circulatio; quicumque viſcoſus humor dilutus & attenuatus; obſtructiones viſcerumque infarctus reſerata: hinc vividiores ſolidorum oſcillationes; perfectior digeſtio, proindèque uberior ſuccorum laudabilium proventus. Verbo dicam; Aquæ minerales noſtræ optatum æquilibrium reducendo, ſolida & fluida ſimùl amico fœdere jungunt, contumacioreſque morbos certiùs debellant, quàm ferrum quâcunque arte paratum. Hæc omnia, quæ jam ſatìs ratio & analogia docent, feliciſſima praxis comprobat.

(a) *Confer. Libel. cui titulus:* Analyſe des Eaux minérales de Provins, par M. CHAPOIX an. 1770.

V.

NON una eademque medendi ratio in diverſis morbis, qui vel tacitè ſerpunt, vel aperto marte propugnant. Quicunque igitur illos depellere ſatagit, remediorum naturam apprimè calleat, neceſſum eſt; alioquin à recto tramite & legitimâ curatione deflectit: à prudente Medico tantùm adminiſtrentur, & ipſe abſtineat, ſi methodum neſcit. Prælibatis ideò generalibus remediis, & idoneâ mediante diætâ, minerales Aquas præſcribendo, non niſi cautè procedes. Manè jejuno ventriculo, pluribus vicibus, & intervallo plùs minùſve longo inter unumquemque cyathum intercalato, propinandæ ſunt. Sed modus in rebus; nec, invitâ Minervâ, quidquam moliri velis: nam ubi ventriculum gravant, digeſtioni officiunt, nedùm opitulentur. Si liberaliùs & perperàm illis ſeſe proluit æger, res quandòque non proſperè cedunt: sìc, humores nimìs exagitando, cerebrum ſcandunt; & tunc inebriant, ventrem movent; tormina, diarrhæam, vomitum, alioſve hujuſmodi effectus, diætâ facilè compeſcendos, procreant. Ab aquis abſti-

neant illi, quorum fervidus sanguis, aut ardens jecur & inæstuans bilis. Purgantia etiam, inter earum usum, penitùs ableganda: nam *firmiter retinendum* (a) *quod quotiescumque morbi curatio remediis corroborantibus innititur, evacuationes, qualescumque eæ fuerint, officiunt.* Et certè inconsiderata purgantium applicatio virium magìs quàm morbi fontem exhauritur; aquarum mineralium efficaciam infringit, & sanitatem vix restitutam de novo deturbat. Nil tamen ab artis Magistris, naturæ fidelitèr obtemperantibus, reformidandum. Utile consilium dabunt; & in pluribus morbis ad mineralium aquarum, tanquàm ad salutis fontes, dimittent ægros: undè concludere licet.

(a) Syden. Tract. de Podag. pag. 474.

Ergò Morbis chronicis Aquæ minerales Pruvinenses.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Ludovicus - Hieronymus Raussin, Doctor - Regens, Antiquior Scholarum Magister, & Professor Antonianus.

M. Henricus Ninnin, Doctor - Regens, salubris Consilii Regii Socius; Serenissimi Principis Claromontii Comitis, dum viveret, Med. Ordinarius; necnon Regiorum Nosocomiorum Inspector; Professor Scholarum.

M. Desiderius Le Camus, Doctor-Regens, Professor Antonianus & Decanus.

M. Robertus Fillion, Doctor-Regens, Professor Mallius.

M. Joannes - Baptista - Petrus - Henricus Caqué, Doctor-Regens, Professor Scholarum.

M. Valentinus-Maria Laignier, Doctor-Regens, Professor Scholarum.

Proponebat Remis, PAULUS-JOSEPHUS-VICTOR NAUDOT, Pruvinensis, Senonensis, Saluberrimæ Facultatis Remensis Baccalaureus; Theseos Autor.

A. R. S. H. M. DCC. LXXVII.

PRO LICENTIATU.

Ex Typis JEUNEHOMME, Regis & Facultatis Medicinæ Typographi.